



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 764. An & qualiter quis ad acceptandum munus executoris, illudque exequendum cogi possit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

sine licentia superioris exercere hoc munus; & hanc licentiam in societate solus generalis concedere possit subditis societatis, ipsi (etiam Provinciales & locorum superiores) peccabunt mortaliter, exercentes hoc munus sine licentia generalis, non quidem directè vi constitutionum suarum, sed vi juris communis. E contra de Lugo *l. c. num. 326.* ait, hoc ipsum semper visum sibi difficile; eò quòd de jure communi etiam aliis superioribus competat potestas concedendi subditis hanc licentiam, ita ut, si cum hac licentia exercent dictum munus, non peccent mortaliter, nec agant contra legem Canonicam. in citato autem loco constitutionum notarum referretur solum generali facultas dispensandi in constitutione nostra, quã illud munus prohibetur nostris; & constitutiones nostræ non obligent ad culpam, consequens sit, ut subditus societatis agens contra illam constitutionem, non obtenta legitima ejus dispensatione, ex hoc capite non peccet mortaliter, uti nec superior immediatus eam facultatem concedens; nec etiam peccet contra legem Canonicam; cum hæc solum prohibeat exercitum hujus muneris sine consensu sui Prælati immediati; regula autem nostra non auferat ab aliis superioribus nostris potestatem, quam de jure communi habent, sed solum non concedit potestatem dispensandi in prohibitione facta in eadem constitutione. ita Lugo, ut videtur, probabilis. Porro tamen Fratres minores nullatenus executores esse possint, etiam ad causas pias, nequeant quæ ad hoc eis eorum superiores concedere licentiam juxta clarum textum *Clement. exivi. de V. S.* posse tamen juxta eandem *Clement. e.* eos dare consilium quòd ad executionem testamentorum, cum citatis à se Covar. *de testam. c. 17. num. 1.* Sanch. *l. 6. mor. c. 11. num. 28.* Molin. *d. 247. num. 12.* Barbof. *in cit. Clem. exiv. num. 26.* asserit Reiffenst. *h. t. num. 782.* idque etiam testatores mandare posse executoribus, ne sine eorum consilio procedant; quòd tamen executores sequi non tenentur, ut Idem cum Sanch. & Barbof. *LL. cit. Pih. h. t. num. 112.* Rodriq. *qq. regular. tom. 3. q. 70. a. 2.* Quin & iisdem Fratribus à testatore committi posse, ut ipsi unum vel plures denominent executores: uti & mandare executori, ut non nisi iis pauperibus & causis piis, quos Fratres elegerint aut commendarint, applicent relicta, habet Reiffenst. *n. 783.* citans Abb. *in Clem. religiosus. de religios. n. penult.* Covar. Barbof. Rodriq. *ubi ante.* Sanch. *l. c. n. 32. & 41.* contra Molin. *cit. d. 247. n. 12.*

**Quæst. 764.** An & qualiter quis ad acceptandum munus executoris illudque exequendum cogi possit?

**R**esp. primò: executor in testamento designatus regulariter cogi nequit ad munus illud acceptandum, etiam si sit propinquus, etiam in ordine ad causas pias. Sanch. *in opusc. tom. 2. l. 4. c. 1. du. 42. an. 4.* Delben. *de immunit. eccl. c. 8. du. 21. f. 20. & c.* Ubi tamè semel illud acceptavit, sive expressè sive tacitè, etiam invitus cogi potest ad illud non dimittendum. *c. Joannes. h. t. & ibi Abb. n. 3.* Molin. *tr. 2. d. 248. n. 3.* Covar. *de testam. c. 19. n. 3.* de Lugo *l. c. n. 129.* Pih. *h. t. n. 113.* cum commun. est enim officium executoris ad instar procuratoris, quòd licet à principio sit voluntarium, post susceptum tamen mandatum necessariò implendum est. *l. 17. c. de procur. Tacitè autem illud acceptasse ex facto aliquo indicatur. ut dum actum aliquem istius muneris exeruerit, vel literas, in quibus ei officium executoris offerretur, scienter admisit, nec contradixit aut protesta-*

*R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. III.*

tus est. ut Arg. *Clement. 1. de procur.* tradit Bartol. *in l. 124. ff. de constit.* Secus tamen, si præsens sciat se constitutum executorem taceat, nisi sit propinquus vel amicus testatoris. Abb. Covar. Pih. *LL. cit.* Dixi tamen: *regulariter.* quia licet etiam sine causa non acceptans illud non peccaret graviter; ubi tamen sine gravi damno suo posset rebus proximi consulere acceptando illud, in quibus aliis proximus graviter læderetur, tenebitur illud sub gravi peccato acceptare & exequi. Lugo *l. c.* quin etiam potest Episcopus ob causam rationabilem clericum vel etiam laicum (uti & Judex secularis laicum suæ jurisdictioni subiectum. Arg. *l. unic. c. qui pro sua jurisd.*) in testamento denominatum executorem cogere, ut hoc munus suscipiat, eidemque mandare, ut voluntatem defuncti exequatur. Pih. *l. c.* Wiestn. *n. 284.* Reiffenst. *n. 785.* cum communi. ex ea ratione quòd ad Episcopum, quòd, cum defunctus, ut ultima sua voluntas adimpleatur, agere per seipsum nequeat, annumerari possit personis miserabilibus & auxilio destitutis, quibus subvenire est Judicis ecclesiastici sive Episcopi. per *c. super quibusdam. de V. S.* Wiestn. *n. 284.* Abb. *in c. si heredes. n. 7.* Covar. *ibi.* cum communi. An verò in hoc casu ab Episcopo compulsus suscipere & exequi hoc munus dicatur executor dativus, aut etiam commissarius & delegatus Episcopi, ut vult Reiffenst. *l. c.* meritò dubitari potest; cum rectius talis dicatur ab Episcopo constitutus, non nisi in casu, quo testator neminem nominasset.

**2.** Resp. secundò in genere: potest Episcopus à potiore, uti & magistratus secularis executorem in testamento denominatum, postquam munus delatum admisit, compellere ad illud exequendum. est communis & certa. idque, etiam si testator prohibuisset illos compelli juxta expressum textum *c. tua. 17. h. t.* ex ea etiam ratione, quòd privata persona nequeat constitutionem publici Juris ecclesiastici vel civilis immutare aut impedire, juxta *c. requisivisti. h. t.* juncta *Gl. in cit. c. tua. v. interdicti.*

**3.** Resp. tertio in specie: competit tam Judici laico quàm ecclesiastico nempe Episcopo hæc potestas monendi & compellendi executores laicos (clericos verò non nisi privativè Episcopo, utpote in quos Judici laico nulla est jurisdictio) ad exequendam voluntatem defuncti, sive hereditas & legata sint ad causam profanam, sive ad causam piam; ita ut hæc causa sit mixti fori, & detur locus præventioni. Abb. *in c. si heredes. h. t. n. 3.* Covar. *ibidem. n. 3.* Molin. *l. c. d. 250. n. 1.* Pih. *n. 115.* Reiffenst. *n. 788.* Et quidem, quòd hæc potestas competat Episcopo, si testator & executor est laicus, constat ex *cit. c. tua.* item *ex c. 3. & 6. h. t.* & tenent expressè cum *Gl. in cit. c. si heredes. v. ab Episcopo.* Abb. *l. c. n. 7.* Hofst. *in t. Joannes. h. t.* Molin. *l. c. n. 5.* Covar. Pih. *LL. cit.* Arg. *ejusd. c. si heredes.* ubi sine ulla distinctione datur Episcopo facultas compellendi executores ad exequendas voluntates defunctorum ex ratione data *resp. 1.* quòd ea quoque competat Judici laico, dum dispositio est ad causam piam, & testator laicus, constat ex *Auib. hoc amplius. de fideicom. & novell. 131. c. si quis ad satisfactionem. 10.* ubi etiam legata pia providentiã locorum Episcopi & Judicis civilis jubentur compleri. Plura de his paulò post, ubi, intra quòd tempus teneatur implere votum defuncti.

**Quæst. 765.** An executor munus suum delegare possit alteri, illudque transcat ad heredes illius?

**R**esp. posse Episcopum, ubi executio ad illum devolvitur, nullo à testatore denominato, vel